

Charles le Gros, empereur, à la prière de l'évêque de Langres Geilon, lui donne le mur de la ville de Langres et le lieu nommé Chambeau. Il confirme le diplôme de Charles le Chauve accordant à l'évêque de Langres le droit de frapper monnaie à Langres et à Dijon, les revenus des marchés annuels et la moitié des revenus des marchés hebdomadaires de ces deux villes.

Texte

I. 1 [*chrisme/* IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUAE] TRINITATIS, KAROLUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA IMPERATOR AUGUSTUS. SI VENERABILUM PRAESULUM JUSTIS ET RATIONABILIBUS EFLAGITATIONIBUS AUREM NOSTRAE MANSUETUDINIS COMMODAVERIMUS ET EAS

I. 2 [ad effectum perpetuae] stabilitatis perducere satagerimus, non solum in hoc nostram imperiale exercemus consuetudinem, verum etiam hoc ipsum ad praesentis vitae cursum cum felicitate transigendum et ad futuram quantotius beatitudinem capessendam

I. 3 [nobis profuturum esse non dubi] tamus. Idcirco notum sit omnibus sanctae Dei ecclesiae fidelibus et nostris praesentibus scilicet et futuris, quia Geilo sanctae Lingonensis ecclesiae reverendus antistes nostrum adiens sublimitatem celsitudini nostrae innotuit, qualiter Lingonis civitatem sibi videli-

I. 4-[cet a Deo] commissam ob nimiam persecutionem sive infestationem paganorum et refugium sive salvationem Cristianorum et sanctae Dei ecclesiae defensionem prope jam reaedificatam sine alicujus comitis vel judicis juvamine atque constructam haberet et ut ad per-

I. 5-[fectionem] illam perducere posset, modis omnibus satageret. Hujus rei causa serenitatem nostram cum quantis precibus potuit humiliter deprecatus est, quatinus ob nimias comitum seu judicum inquietudines pro omnipotentis Dei amore et nostrorum peccaminum relaxatione et ip-

I. 6-[sum civitatis murum] et quindecim pedes de intus et LX de foris sive omnia ex fisco nostro infra eandem civitatem ad causam comitis pertinentia seu etiam et omne illud ex jure fisci nostri, quod in Campobello juxta saepetam civitatem consistit, eidem Lingonensi ecclesiae

I. 7 [suorumque rectorum ordinationi per] auctoritatis nostrae paeceptum perdonare dignaremini. Obtulit praeterea obtutibus celsitudinis [nostrae] auctoritatem paecepti piae recordationis avunculi nostri Karoli imperatoris, qualiter ipse ob depreciationem Isaac venerabilis episcopi ejusdem Lingonensis ecclesiae

I. 8 [et in eadem Lingonis civitate et in Divione] castro monetas fieri concessit, ea tamem ratione quo absque alicujus judicis seu comitis inquietudine ad jus sive ordinationem jam saepememoratae ecclesiae rectorum pertinere perpetuo debeant. Statuit denique et in eadem auctori-

I. 9-[tate, ut de mercatis annalibus in] supradictis locis medietas et de ebdomadalibus summa integritas partibus ejusdem Lingonensis atque Divionensis ecclesiae cederetur. Quae etiam ut futuris temporibus firmiora sint et certiora credantur, nostra auctoritate

I. 10 [corroborari humiliter deprecatus] est. Cujus nos laudabilibus petitionibus aurem nostrae celsitudinis accomodantes hoc auctoritatis nostrae paeceptum fieri jussimus, per quod statuentes decernimus et decernendo confirmamus, quatinus omnia ex jure

I. 11 [fisci nostri ad causam com]itatis pertinentia infra eandem Lingonis civitatem et extra loco qui Campusbellus dicitur et ipsum civitatis murum et XV pedes de intus et LX de foris, veluti supra insertum est et quemadmodum jam saepetatus Geilo episcopus petiit,

I. 12 [ita per hanc nostram imperial]em auctoritatem et ipsa Lingonensis ecclesia et ipse suique successores legittime ordinent et perpetuo in Dei nomine ordine quieto obtineant. De mercatis vero et monetis, sicuti diva memoria suprascriptus Karolus imperator

I. 13 [avunculus noster sua au]ctoritate statuit constituit et confirmavit, ita et nos ejus redintegrantes et renovantes auctoritatem per hoc nostrum imperiale paeceptum statuimus stabilimus atque aeternaliter

I. 14 [confirmamus]. Et ut nostra imperialis permissio per futura tempora pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, manu propria subter firmantes anuli

I. 15 [nostri impressione] subter jussimus sigillari.

I. 16[SIGNUM] *[monogramme]* KAROLI GLORIOSISSIMI ET SERENISSIMI AUGUSTI.
I. 17AMALBERTUS CANCELLARIUS AD VICEM LIUTHUVUARDI ARCHICANCELLARII RECOGNOVIT
ET *[ruche_notes_tironiennes]* [Domnus imperator [fieri] jussit]*/sceau*.
I. 18[Datum XVIII kalendas febroarias,] anno incarnationis domini nostri Jhesu Christi DCCCLXXXVII,
indictione IIII, anno imperii Karoli imperatoris in Italia VI, in orientali Francia V, in Gallia II. Actum
Scletistath palacio. Feliciter. Amen.